

Poetæ licet philosophica grauitate, dicam etiam veritate, impunè ab  
tia. Neq; interim uident, Poetarum Deū nō modo Co-  
metam formidandum scribere, uerū ipsa fulgura nem-  
ni horrenda.

Verg. Ge- Non aliâs cælo ceciderunt plura sereno

oorg. I. Fulgura, nec diri toties arsere Cometæ.

Sed uti nemo tā est ineptus, tam stolidus, qui suspicetur  
fulgura portenta esse, ita certum est, cometam nihil diri,  
nihil mali portendere. Nam, si pars una sentētię huius pu-  
erilis est, quî fit, ut altera eiusdem sententiæ parte, quę de  
Cometa est, vulgus uelint perterrefieri?

Cap. II. Sed mittamus poetas, (quāquam scio Virgilium et alios  
insignes uates Philosophos fuisse) & magistros maxi-  
mos excutiamus. Princeps Doctor Ptolemæus est, ausim  
dicere nihil fieri posse leuius eo aphorismo, in quo is do-  
cet, stellarum traiectiones bellorū esse indicia. Proh Dei  
Maiestatem! Quale hoc est: Nulla nox est (si tamen ab-  
sint nubes) quin multas uideamus eiusmodi traiectiones.  
Videmus ab omni cœli sede, ad omnem cœli partē  
exhalationes istas ardentes ferri, & adhuc somniamus,  
res tā naturales, tā frequentes, tā uulgares, miracula esse:  
erūnosa esse: Et qui tam absurdas res tradit, is dignus ha-  
betur, cui fidē adhibeamus: Et qui in re tā illustri hallu-  
cinatur, is humanum genus in rebus occultis, & à nobis  
remotissimis instituet, docebit, arbitrio suo & uocib. ter-  
rebit: Sunt igitur traiectiones formidandæ: bella, cædes  
portendunt: At uero naturæ prudentes, uentorū, siccita-  
tis & æstuū notas esse dicunt. Cur non sunt quotidiana  
& diurna bella, ut quotidiana sunt huius generis phas-  
mata: Quòd si uera Ptolemaeus docet, quorsum damus,  
naturæ uel cœlo, uel dæmoni, uel Deo Cometas ad bel-  
la ferenda & indicanda: Rem sanè palmariam narrat: cū  
Ptolemaū id scribere dicunt: At uero contrà dicūt Physi-  
ci, affirmant grauissimi viri, & ratio ipsa uincit, nihil ma-  
gis ridiculum scribi posse, quam igneas traiectiones bel-  
la significare.

Nec